



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1248. Usque Ad Annum 1276

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1765

VD18 90118243

§.40. Mors Fratris Eliæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66255)

Sæcul. XIII.
A.C. 1253.

§. XL.

Mors fratris Eliæ.

*Vading. hoc
n. n. 30.*

Cum Papa relicta Perusia mense Aprili
1253 Assisii versaretur, frater Elias
olim Ordinis Minorum Generalis Minister
per internuncium absolutionem ab eo pe-
tiit. Post obitum Friderici, cui se addi-
xerat, Cortonam patriam suam adierat;
ubi construendo Fratibus Minoribus spa-
tioso templo ac monasterio se occupabat,
quamvis Ordine deserto, immo posita e-
jus veste pro se privatim viveret, superio-
ri nulli obnoxius. Cum æger decumbe-
ret, frater quem habebat inter Minores,
desperatam ejus vitam audiens, Corto-
nam properavit, & illum ardentem mo-
nuit, ut Ordinem & Apostolicam Sedem
sibi reconciliaret. Elias sibi redditus a-
gnita delicti sui gravitate oravit fratrem
suum, ut celeriter Assisium iret, atque i-
psius absolutionem a Papa flagitaret.

Eo profecto Elias sabbato sancto suum
augeri malum sentiens, Bencium Corto-
nensem Archidiaconum accersiri voluit,
quo præsentem jurabat, se, si convalescat,
venturum esse ad Papam; vel, si morbus
pertinax sit, missurum, qui ad eum acce-
dat. Archidiaconus, ut caute ageret,
octo hujus promissi testes sibi asciverat,
quinque Sacerdotes ac tres Notarios pu-
blicos,

blicos, eumque a censuris, alius Sacerdos Ventura dictus a peccatis absolvit, postquam ejus confessionem exceperat; denique secundo die Paschatis quidam Fratrum Minorum Diotifecius nomine cœlesti epulo communivit: quæ ille Sacramenta inter magna pœnitentiæ indicia accepit. Non autem perunctus est sacro oleo, quod eo die Cortonæ deerat, Episcopum nondum habenti. Proximo die 22 Apr. 1253 vi morbi oppressus animam edidit. Post aliquot dies ejus frater Assisio rediit cum Valasco ejusdem Ordinis monacho, quem Papa præfecerat expiationibus, & Eliæ pœnitentiam examinare jusserat. Hunc ille mortuum audiens, curavit summæ fidei litteras confici, quoniam is modo vitam finiisset, publice testaturas.

Sæcul. XIII.
A C. 1253.

§. XLI.

S. Claræ obitus.

Eodem tempore, quo Papa Assisii commorabatur, S. Clara vivere desiit. Per annos quadraginta duos cœnobium S. Damiani ex informationibus a S. Francisco acceptis gubernabat. Sub amictu vilissimo gestabat cilicium e fetis equinis, aut porcinam pellem: cubabat in humo nuda vel strata sarmentis & trunco pro pulvinari. Jejunium venum & S. Martini

Sup. Lib 77.
c. 9.
Vit. ap. Sur.
12. Aug. c. 12